



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Pauperum diuitias esse regnum cælorum spe & re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

rum. Quamobrem D. Chrysostomus homiliam propriam de hoc S Chrysost.  
argumento fecit, cui titulus est: *Quod eleemosyna est ars omnium*, hom. 33.  
*quasi uolissima.*

## C A P V T XI.

Pauperum diuitias, esse Virtutes.

 Vnde vere dixit Salomon? *Est quasi diues, cum nihil habeat:* I.  
*& est quasi pauper, cum in multis diuitiis sit.* Quid enim Pro. 13. 7.  
 pauperius diuite, cui non solum admodum difficile est,  
 intrare in regnum cælorum, sed etiam si vult intrare, debet intra-  
 re per pauperum preces, & ab illis, sipe data, cælum quodam-  
 modo emere? Vnde meritò censetur magna pars diuitiarum, quas  
 possident, ad pauperes pertinere; siue deinde titulo iustitiae, siue  
 charitatis ad eos pertineant. Quia certè, et si, ut D. Chrysostomus  
 dixit, *Diuitia non sunt peccatum, tamen peccatum est, eas non distri-  
 buere pauperibus.* Atque hinc etiam est quasi pauper, cum in multis  
 diuitiis sit: nam ad illum pertinent, quæ diuitibus supersunt. Ac-  
 cedit, quod sint diuitie maxime, non egere diuitiis. Quin, si rem  
 rectè ac suis momentis volumus ponderare, diuitiæ ibi demum ve-  
 ræ sunt, *vbi tinea non corrumpit*, profectò necesse est, pauperes esse  
 in multis diuitiis, quoniam ipsorum est regnum cælorum, non spe dun- Matth. 5. 3.  
 taxat, sed etiam re, quia etiam adhuc in hac vita degentes poten-  
 tiam habent, illud alijs, dicto modo, largiendi. Hinc enim Serua-  
 tor non ait: *Ipsorum erit, sed Ipsorum est regnum cælorum*, potestate S Augustin.  
 scilicet. Erit autem etiam possessione, quia, ut sanctissimus An- lib. soliloq.  
 tistes ait, *soli illi, qui se cognoscunt pauperes, & confitentur tibi, Domi-* cap. 15.  
*ne Deus, paupertatem suam, ditabuntur à te: quoniam qui se diuites*  
*existimant, cum sint pauperes, à tuis diuitiis inuenientur exclusi.* Et alio Idem in cō-  
*loco: Felicitas magna Christianorum, quibus datum est, ut per pauper-* mun. serm.  
*tatem faciant pretium regni cælorum. Non tibi displiceat paupertas* 59.  
*tua, nihil ea potest ditius inueniri. Vis nosse, quām locuples sit?* Calum-  
*emit. Quibus thesauris conferri posset, quod paupertati videmus indul-* Idem serm. 3:  
*tum?* Ac rursus alibi. *Vobis dico, pauperes, qui mendicatis, qui de* de Natiuit,  
*eleemosyna Christianorum viuitis. Consolamini, consolamini, tribulatio* de Natiuit,  
*vestra conuertetur in latitiam, & dolor vester in gaudium. Non vobis*  
*fit ingratum, quod mendicatis, nec ideo in corde vestro aliquid contra* Deum

Q 3

Deum

*Deum dicatis, quia ille iustus & pius, in omnibus operibus suis. Et ideo te fecit pauperem, ut sufferendo breuem inopiam, aeternam vitam acquireres. Et dimititem ideo fecit, ut dum tibi superflua daret, remedium peccatis suis acquireret. Recte igitur vereque dixit Christus: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum.*

## II.

Matth. 7. 21.

Quamquam etiam aliud mihi insuper videtur latere arcanum in his verbis. *Regnum enim celorum non solum est in celo empyreio, ubi beati cum Christo regnabunt in perpetuas aeternitates; verum etiam in terris. Nam varie in diuinis litteris regnum celorum, & regnum Dei accipitur.*

Matth. 7. 21.

*1. Pro vita beata & premio, quod Sanctis datur, ut cum Christus dicit: Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum celorum, quia non itur ad celum verbis, sed factis. Id ipsum intelligit S. Io. Baptista, cum ait:*

Matth. 3. 2.

*Panitentians agite, appropinquauit enim regnum celorum: dicitur enim appropinquare regnum celorum, quia cum ante clausum fuisset, paulo post per mortem Christi erat aperiendum, ante quam nemo in celum ingressus est.*

Matth. 8. 11.

*2. Pro Ecclesia, ut cum dicitur: Multi ab Oriente & Occidente venient, & recubent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno celorum, hoc est, in Ecclesia, filii autem regni eiciuntur in tenebras exteriores. Rapuerunt enim, hoc est, extorserunt multi gentiles fidem, Euangelium, Ecclesiam de manibus Iudeorum, qui in possessione erant.*

Luc. 17. 21.

*3. Pro gratia & renovatione Spiritus, & choro virtutum; quo sensu ait Christus:*

Matth. 14. 28.

*Ecce regnum Dei intra vos est. Quemadmodum ergo alibi transfigurationem suam regnum suum vocavit, non quia propriè regnum, sed quia futuri regni imago erat; ita in illo homine regnum celorum esse dicitur, in quo est quædam regni celorum similitudo. Est autem maxima similitudo in eo, in quo fides obscura claræ visioni Dei viam sternit, & spes comprehensioni; charitas amori gaudique respondet, ac ceteræ virtutes, per quas nos Deus regit, & in quibus regnat; sicut regnat in celo. Igitur beati sunt pauperes, quoniam ipsorum est regnum celorum, hoc est, tanta virtutum collectio & plenitudo, ut iam in celo esse videantur; quarum possessione, longè sunt diuiris mundi ditiores. In his lucet aurum, sed plus lucet fides & virtus in illis. Qua de causa utrosque ita allo-*

S. Augustinus  
super Plat. 105.

*quitus D. Augustinus: Aduersus Dominum nolite murmurare. Au-*

*dite*

UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN